

alia oraculo vive vocis exposita iocundissimo recepimus cum affectu: deo siquidem omnipotenti, cuius res agitur, super hiis laudem et gloriam affectuosissime cordis cum tripudio depromentes, vestrum quoque laudabile propositum spiritu sancto directore^a, quo tam ferventer quam prudenter, per viam videlicet canonicam concilii generalis congruentissimam pro huius negotii felici conservacione, scismaticam universalis ecclesie scissuram reformare ac ipsius unionem haut dubium saluberrimam tante maturitatis celeritate vestre dominaciones procurare decreverunt, cordialiter commendamus, hoc ipsum ineffabili laude dignum revera putantes. Hortamur pariter vos in domino Iesu Christo humili precum rogacione, instancia qua valemus ampliori, quatenus hoc opus sanctum, opus iustum, pium et meritorium, quis dubitat deo gratissimum, in finem usque constanter prosequi dignemini preoptatum. Intendite, patres, inquam, reverendissimi, et procedite per viam hanc regiam desuper inspiratam, manu iam ad aratrum posita nullatenus respicientes¹, donec et usque sponsa Christi difformitate^b scismatica catholicis periculosissima suo sponso dilectissimo Iesu Christo preciosissimo suo sanguine ipsam dedicanti per unionis integritatem purissime reformetur. In quo nos eciam parcere nolumus quibusvis laboribus et expensis, quin ymmo termino locove constitutis ad concilium predictum per v. p. r. convocatum, si urgens non obstiterit necessitas aut obicem posuerit (quod absit) impedimentum legitimum, in nostra propria persona veniemus. alioquin nostros illuc pleno suffultos mandato procul dubio dirigere proponimus oratores, intendentes indubie eciam alias, quantum in nobis est, efficaciter vestris dominacionibus assistere in hoc sanctissimo negotio unionis, prout ad hoc zelus fidei catholice nos astringit. Insuper de subtraccione ab obediencia domini Gregorii in huius nephandissimi scismatis nutricione proch dolor nimium indurati facienda nedum nos cum metropolitano nostro, principibus secularibus et prelati aliis celeriter tractare curabimus, verum eciam ceteros ad subtrahendum se una nobiscum unanimi voto conabimur inducere quantocius cum effectum et alia quevis remedia pro sacratissime unionis procuracione deservientia remotis omnibus retardacionum obstaculis venenosis iuxta nostre possibilitatis modum adaptare curabimus, impensuri revera pro

a) directo *cod.* b) *fort.* <de> difformitate.

1) Vgl. Luc. 9, 62, Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno dei.